

893. V, 4-3 — Breve, *Ex injuncto nobis*, pelo qual se declarava que as mesas mestrais de Santiago e Avis e seus comendadores e beneficiados estavam isentos do pagamento das duas décimas que se tinham posto nas rendas eclesiásticas, para a guerra contra os infiéis. Lisboa, 1539, Outubro, 30. — *Pergaminho. Em estado.*

Hieronimus Ricens de Capiteferreo sanctissimi domino nostri Pape et sedis apostolice notarius ac ad serenissimum principem Johannem Portugallie et Algarbiorum regem necnon universam Portugalliam cum facultate legati de latere nuncius et orator ex injuncto nobis a sede apostolica officio ad ea libenter intendimus per que personarum adversus fidei nostre hostes strenue dimicantium indemnitati consulatur.

Sane licet milites et professores militiarum regnorum et dominiorum serenissimo principi Johanni Portugallie et Algarbiorum regi subjectorum a solutione duarum integrarum decimarum quas sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster dominus Paulus divina providentia Papa tertius super quorumcunque beneficiorum et bonorum ecclesiasticorum in his regnis consistentium fructibus redditibus et proventibus quorum singulorum valor annuus summam viginti quatuor auri de camera excederet imposuit sint exempti. *Tamen* ut exemptionis hujusmodi beneficium innotescat apertius et ut illustrissimi Georgii Sancti Jacobi de Spata et de Avis militiarum magistri et seu administratoris voto grato concurramus assensu Sancti Jacobi et de Avis militiarum hujusmodi mensas magistrales et conventuales necnon preceptorias et beneficia a dictis mensis dependentia que dicti ordinis professores in titulum obtinent a solutione

decimarum hujusmodi exempta fore et esse ac earundem militiarum personas ad solutionem decimarum earundem pretextu mensarum preceptoriarum beneficiorum et bonorum dicti ordinis non teneri neque obligatos existere ac propter non solutionem aliquas censuras et penas non incurere et sequestrum in eis appositum relaxari debere et sic per quoscunque iudices et commissarios etiam Sancte Romanae Ecclesie cardinales iudicari debere decernimus et declaramus in contrarium facientibus non obstantibus quibus cunque in quorum fidem presentes litteras fieri sigillique nostri appensione communiri iussimus.

Datum Ulixbone anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo trigesimo nono tertio Kalendas Novembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri domini Pauli divina providentia Pape tertii anno quinto.

Hieronimus nuntius

Gratis ubique

Julius Chalumeldus Albre.^{or}

Silvius Gozus
secretarius

(A. E.)